

hęc scrupulosa diligentia ob motus eorum tarditatem parum est necessaria. Sed de luna admonitos volo omnes, qui in his nostris tabulis tertio modo æquationis uti volunt, ut hanc correctam epochen æqualium motum D nec aliam ullam suæ supputationis initium stantant.

Ex his iam intelligi potest, quare tertius modus antea obijciebat maiorem æquationem subtrahendam, quàm secundus, scrupulis scilicet $8^1, 9^2$, vnius horæ. Quia enim epochæ & ut vulgo vocant, rationes æqualium motuum iam sunt posteriores factæ, quàm in primo & secundo modo scrupulis $8^1, 9^2$, vnius horæ. ideo deinceps semper totidem scrupulis distat huius tertij modi æquatio subtrahenda ab æquatione secundi modi. Ut principio Arietis in secundo quidem modo congruit dierum æquatio $0^1, 55^2$, vnius horæ addenda, sed in tertio $7^1, 14^2$, subtrahenda, quæ addita inuicem conficiunt $8^1, 9^2$, scr. Similiter ad 10 gra, \vee æquatio dierum secundi modi habet $2^1, 15^2$, subtrahenda, tertij autem $10^1, 25^2$, similiter subtrahenda quorum minus ablatum à maiori relinquit itidem $8^1, 8^2$, Nam ut diuersæ species per additionem, ita similes per subtractionem ostendunt suam differentiam.

Consensus secundi & tertij modi.

Hęc de via subtractionis, quam recentiores in scholas introduxerunt, commemorare nunc breuiter volui, à paucis rectè tradita, quæ quidem omnia iuxta viam additionis contrario se modo habent, id quod hoc loco monuisse satis est. Nam alibi hęc à nobis copiosius, Deo iuvante, explicabuntur, monstrata etiam ratione, qua novos canones vtriusq; modi proprios cuiq; seculo vel ærati hominum condere quàm facillimè liceat.

De via additionis.

Verum hic tandem obijciat aliquis, cur primo loco positum sit à nobis præceptum de æquatione dierum, cum dato tempore apparenti non mox vna detur verus locus \odot à vero æquinoctio, cuius tamen noticia in omnibus tribus modis necessaria est? Multo igitur rectius videtur, ad quodcunq; datum tempus apparens supputare cœlestes motus & postea, vbi hoc factum fuerit, uti dierum æquatione. Fateor veram esse hanc obiectionem, sed hanc ipsam ob causam volui ante omnia de dierum æquatione monere studiosum lectorem, ut sciret motus supputatos ad adparens tempus non congruere ei ante, quàm hęc censura adhibeatur. Quare in fine huius præcepti summam rei breuiter complectar.

Obiectio.

Summa rei.

Primum constat, vel mediocriter in elementis harum artium versatum non magno labore coniectare posse locum \odot propemodum congruentem dato diei mensis, cum passim in omnibus diarijs notetur introitus \odot in singula dodecatemoria Zodiaci. Deinde & dierum æ-

De secundo & tertio modo.

E quati-